

Disputatio ... de cynanche tracheali.

Contributors

Rockliffe, Richard William.
University of Glasgow. Library

Publication/Creation

Glasgow, 1799.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/uze3dy78>

Provider

University of Glasgow

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The University of Glasgow Library. The original may be consulted at The University of Glasgow Library. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>



DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
CYNANCHE TRACHEALI.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

OSTIACAE TRACHEAE

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
CYNANCHE TRACHEALI;

QUAM,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE DIGNISSIMI VICE-CANCELLARII
ARCHIBALDI DAVIDSON, S. S. T. P. P.
ET COLLEGII GLASG. PRAEFECTI;

NEC NON,
AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,
ET
NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET
LEGITIME CONSEQUENDIS,
IN COMITIIS UNIVERSITATIS GLASGUENSIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT
RICHARDUS GULIELMUS ROCKLIFFE,
ANGLUS,

SOC. REG. MED. EDIN. SOC. ORDINAR.

AD DIEM XXII. JANUARIJ, HORA ET LOCO SOLITIS.

GLASGVAE:

TYPIS JACOBI MUNDELL, ACADEMIAE TYPOGRAPHI.

1799.

c

DISPUTATIO
IN AUGUSTO

CYNANCHE TRACHEALIS

ANNUENTE SUMMO NUMERO

ARCHIBALDI DAVIDSON, S. S. R. P.

ET COLLEGIUM CLASSE EXERCITIA

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETUM

PRO GRADU DOCTORIS

IN COMITIBUS UNIVERSITATIS GLASGOWENSIS

EXAMINUM SUBIICIT

RICHARDUS GULLIEMUS ROCKHILL

AVELLAE

1862. MDCCCLXII. MDCCCLXII.

AD HOC EXAMEN SUBIICITUM

GLASGOWAE

IN BIBLIOTHECA ACADEMICA UNIVERSITATIS GLASGOWENSIS

REVERENDO
FRANCISCO ROCKCLIFFE,

PATRUELI,

FULLEBEEI

IN

PRAEFECTURA LINCOLNIENSI

RECTORI;

ET

THOMAE WILSON, M.D.

GRANTHAMI,

PROSPERRIME MEDICINAM FACIENTI;

UTRISQUE

VIRIS OPTIMIS

ET

AMICIS;

HANC

DISPUTATIONEM,

AMICITIA ET GRATO ANIMO

MOTUS,

D. D. CQUE

RICHARDUS G. ROCKCLIFFE.

REVERENDO
FRANCISCO ROCKCLIFFE,
PATRIBUS
HUIUS
IN
PRAEFECTURA INCOLUMENSIS
RECTORI;
ET
THOMAE WILSON, M.D.
PROFESSORI MEDICINAE
VIRI OPTIMI
ET
AMICIS;
HANC
DISPUTATIONEM,
AMICITIA ET GRATO ANIMO
NOTUS
D. D. 1852
RICHARDUS G. ROCKCLIFFE.

Digitized by the Internet Archive
in 2016

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

CYNANCHE TRACHEALI.

RICHARDO GULIELMO ROCKCLIFFE AUCTORE.

PROOEMIUM.

§ I. **M**ORBIS innumeris opportuni malisque homines nascuntur. Vixdum natos quàm saepe morbi insiliunt, et rapiunt? In quot pericula ruunt pueri inscientes? Quot morbis intereunt juvenes; quot fluctibus obruuntur; quot delirio aut ambitione regum ferro occidunt? Medios aetate et provectoros sui morbi invadunt, et absumunt. Longâ senectute hebescunt sensus; membra torpent; praemoriuntur visus, auditus, incessus, dentes etiam ac ciborum instrumenta.

II. Morborum, quibus infirmitate naturae hominum genus obnoxium est, nonnulli, ex improvise, insiliunt, et brevi rapiunt; alii obrepunt, et lentâ

tabe consumunt: quidam viscera petunt; quidam summum corpus: hi glandulas lentâ duritiâ tumefaciunt, aut ulceratione depascuntur; illi artus cruciant, aut humores inquinant et corrumpunt: alii corporis formae dignitatem deturpant; alii mentis lumen obcaecant, aut extinguunt: nonnulli ex ignotis causis oriuntur; nonnulli, ex notis orti, nullam admittunt medicinam.

III. Morborum, qui infantes et pueros adoriuntur, nullus ferè eo periculosior est, qui asperam arteriam inflammatione afficit, et vehementem suffocationem, atque spirandi difficultatem inducit.

IV. Hunc (iii.) morbum confusè et permistè memorant veteres scriptores; GRAECI enim generali nomine *cynanches* * insigniunt; ROMANI, *anginae* †. Recentiores verò discretè persequuntur; et specialibus nominibus, alius alio, ornant ‡.

V. Anginam, quam electè tractare, nobis in animo est, quamque *trachealem* plerique nunc medici appellant, à caeteris anginis omnium primus segregavit HOMIUS; medicus praeclarus, qui sic auxit medicinae scientiam, atque aetate tenerorum saluti

* Vid. HIPPOCRAT. *Oper. omn.* edit. à JOANN. ANTONIO VANDER LINDEN. LUGDUN. BATAV. ann. M,DC,LXV. Lib. XXXVIII. cap. iii. § 96.

† Vid. AUREL. CORNEL. CELS. *De Medicina*, Lib. IV. cap. IV.

‡ Vid. CULLEN. *Synops. Nosolog. Method.* Tom. II. gen. X spec. 3. *Synonym.*

consuluit. A caeteris segregatam *suffocationem stridulam* nominavit*.

VI. *Cynanche trachealis* infantes, ex quo tempore depulsi lacte sunt, atque pueros, qui duodecimum tredecimumve aetatis annum nondum complêrunt, prae quadam corporis proprietate, nondum satis intellectâ, aggreditur. Ei opportuni sugentes rarissimè sunt, nunquam ferme puberes.

VII. Utî non omni aetate, ita non ubique gentium, hic morbus aequè frequens et infestus est. Namque, ubi loca seu naturâ seu coelo humida sunt, ibi infantes et pueros saepius corripit, quàm ubi arida et sicca. Quò fit, ut, caeteris paribus, eo saepius, sicuti putat HOMIUS, capiantur, qui maritima loca inhabitant et humilia, quàm qui mediterranea et magis edita. Hoc verò non perpetuum est; nam, utî certiores nos facit DISNEIUS ALEXANDER, ubique terrarum apti infantes et pueri sunt, quos hic morbus adoriatur, ubi coelum frigidum et humidum est, praecipuè ubi frequentes caloris et frigoris vicissitudines †.

VIII. *Cynanche*, de qua scribimus, frequentior est, utî ait MILLARIUS, verno tempore et autumnali, quàm aliis anni temporibus; praesertim si coelum

* Vid. FRANCISC. HOM. *Inquiry into the Nature, Cause, and Cure of the Croup.*

† Vid. DISN. ALEXAND. *Treatise on the Nature and Cure of the Cynanche Trachealis*, pag. 13.

humidum sit, et Eurus aut Aquilo spiret *. Verùm saepe tamen etiam brumali tempore infantibus et pueris infesta est †.

ix. Infantes et pueri, inferiore loco nati, saepius *cynanche tracheali* corripuntur, quàm superiore ‡; propterea forsitan quòd, cùm, prae victu, procliviores in eam sunt, tum causis, unde oritur, saepius objiciuntur. Huic, porrò, morbo caeteris opportuniore sunt floridi et pleni, quique, pro annis, vegeti sunt et praecoces §.

x. His (i.—ix.) praemissis, considerandum est, primùm quibus notis, tam in corpore vivo tam in cadavere, cognoscatur hic morbus; tum, quibus ex causis proveniat; deinde, quibus signis dignoscatur ab aliis morbis, quibus signorum similitudo sit; post, qua ratione explicentur morbida; tum bonus expectandus eventus sit, an malus timendus; deinde, quae conveniat curatio. De his ordine dicendum; sed, ante omnia, definitione aperiendum, quae morbi natura sit.

* Vid. JOANN. MILLAR. *Observations on the Asthma and on the Hooping Cough*, pag. 14.

† Vid. DISN. ALEXAND. *Treatise, &c.* pag. 13.

‡ Vid. JOANN. MILLAR. *Observations, &c.* pag. 17.

§ Vid. DISN. ALEXAND. *Treatise, &c.* pag. 13.

DE DEFINITIONE.

XI. QUUM oporteat medicos priùs definire, quibus notis cognoscatur facies morbi, quem scribendo tractare illis in animo fit, quàm ad alia properent; liceat nobis morbum, quem pro argumento selegimus, definire verbis clarissimi CULLENI; qui eum *pyrexiarum* classe, *phlegmasiarum* ordine, *cynanches* genere, aptè disposuit. Verba autem haec sunt:

“ *Cynanche respiratione difficili, inspiratione stre-*
 “ *pente, voce raucâ, tussi clangosâ, tumore ferè nullo in*
 “ *faucibus apparente, deglutitione parùm difficili et febre*
 “ *synocha*.*”

XII. At quoniam, uti bene dixit CICERO, “ est
 “ definitio, earum rerum, quae sunt ejus rei pro-
 “ priae, quam definire volumus, brevis et circum-
 “ scripta quaedam explicatio †,” atque, ut alibi idem
 auctor dixit, “ in definitionibus neque abesse quic-
 “ quam decet, neque redundare ‡;” in definitione,
 quam citavimus, oportet CULLENUM verba, “ tu-
 “ more ferè nullo in faucibus apparente, deglutitione

* Vid. CULLEN. *Synops. Nosolog. Method.* Tom. II. gen. x. spec. 3.

† Vid. MARC. TULL. CICERON. *De Oratore*, Lib. I. cap. xlii.

‡ Vid. MARC. TULL. CICERON. *De Oratore*, Lib. II. cap. xix.

“ *parum difficili,*” non adjecisse: non enim verae philosophiae convenit, rem, quam aperire volumus, qualitatum negantiâ definire, nedum morbum, quem nobis in animo est scribendo tractare, negantiâ signorum.

Quum oportet medicos prius de morbo, quâ
 morbi, quem scribendo tractare illis in animo sit, quam ad alia properent; hinc
 morbum, quem pro argumento elegimus, de
 verbis clariorem CULLANI; qui cum genera
 classis, plurimum ordinis, cuncta genera
 quae sunt, ista autem haec sunt:

Cynanche respirans difficili, inspiratione stre-
 pante, voce rancia, tui clausi, tumore, febri acuta in
 facibus apparente, deglutitione tantum difficili et febre
 quae.

At de morbo, ut bene dixit Celsus, “ est
 definitio, cuius terminus, quae sunt eius res pro-
 priae, quam definire volumus, brevis et circum-
 scripta quaedam explicatio;” atque, ut alibi idem
 doctor dixit, “ in definitionibus neque libere quae-
 rum decet, neque redundare;” in definitione,
 quam clariorem oportet CULLANUS verba, “ ne-
 que sine ulla in facibus apparente, deglutitione

* VII. Cullen. *Praxis Medica*. Lib. II. cap. 1.
 + VII. Macr. *Treatise of Cynanche*. De Cynanche, Lib. I.
 § VII. Macr. *Treatise of Cynanche*. De Cynanche, Lib. II.

DE SIGNIS.

XIII. *Cynanche Trachealis* iisdem haudquaquam signis semper adoritur. Paucos interdum dies, quàm invadit, tussis sicca et frequens urget. Nonnunquam subitò incessit; neque rarò infans somnum inicit laetus et corpore sanus, et, paucas post horas, timet ex somno, et ferme in articulo mortis est. Plerumque tamen periculosum hunc morbum antegrediuntur horrores vicissimque calores, itemque lassitudo, sitis, caeteraque signa, quae febrem constituunt et indicant*.

XIV. Signa hujus morbi, uti à RUSSELIO accipimus, nonnunquam subinde remittunt †. Imò, uti ait MILLARIUS, aliquando primâ nocte intermittunt sic, ut integritas sequatur; inter quam infans, sicut sanus, somnum, per reliquam noctem, capit, et facilè spirat, donec, sequente vespere, si non citiùs, accessio gravior et longior accedat ‡. Gravioris verò morbi remissiones hujusmodi et intermissiones parùm evidentes sunt.

xv. Ineunte morbo, spiritus difficilior fit solitoque

* Vid. DISN. ALEXAND. *Treatise*, &c. pag. 14.

† Vid. RUSSEL. *Oeconom. Natur.*

‡ Vid. JOANN. MILLAR. *Observations*, &c. pag. 18.

citator; facies subrubra; vox acuta et stridula, Nauseâ saepe, imò haud rarò etiam vomitu, aeger vexatur. Nonnunquam est tussicula sicca, *clangosa*, rauca. Os plerumque fluit salivâ, quae plerumque solito lentior est. Arteriae citatiùs et validiùs micant.

xvi. Progrediente morbo, lingua albida fit, atque crustâ nonnunquam cooperitur. Aeger animam citatiùs et difficiliùs, humerisque elevatis reciprocatur: inquietus brachia et pedes dispergit; et, licèt sanus, animo tamen demissus est. Facies livescit. Rubra et parca urina est, atque furfuracei quid deponit. Cutis plerumque arida manet. Aeger devorare potest, at oblatos cibos aversatur.

xvii. Seriùs aliquando ociùsve humor, ex pure et muco compositus, expuitur. Nonnunquam etiam, id sanè quod faustum est, membrana tenax, modò frustulatim, modò tubulata, magno molimine asperâ arteriâ, et ramis ejus in pulmones dispersis, extusitur; quod, cùm acciderit, securitatem pollicetur.

xviii. Haud rarò autem tussiendo nihil quicquam ejicitur, tandemque ipsa tussis conquiescit. Pulsus arteriarum fiunt celeriores, imbecilliores et tremuli. Anxietas et praecordiorum gravitas urgent. Facies magis colore magisque livescit. Sputum omnino cessat; tandemque fistulis pulmonum oppletis vita extinguitur.

XIX.
cedit vi
ANDER
pius au
tumve
et ingr
testatur

XX.
nibi sit r
lore cor
earum p
lent. In
interdum
tur †, et
simulque

XXI.
agnosca
morbida,
conspiciu
cum qua
santur no

* Vid. I
† Vid. I
Cynanche Str
Vid. P.
Cynanche Trac
Vid. F.
CLAUFORD.

XIX. Nequaquam verò certo morbi tempore recedit vita. Interdum enim, uti ait DISNEIUS ALEXANDER, viginti quatuor horis * aeger moritur. Saepius autem non ante tertium, quartum, quintum sextumve diem. Si, certis temporibus, morbus remittit et ingravescit, vita nonnunquam, uti idem auctor testatur, ad decimum quartum diem protrahitur.

XX. Tenellus aegrotus, dummodo fari possit, quid sibi sit rei, plerumque de obtuso asperae arteriae dolore conqueritur. Externae nonnunquam fauces, earum potissimum amygdalae, intumescunt †, et dolent. Internae fauces plerumque parum afficiuntur: interdum tamen tonsillae et uvula leviter inflammantur ‡, et supra modum rubent. Aliquando manus simulque pedes aqua inter cutem tument §.

XXI. Enarratis signis, quibus *cynanche trachealis* cognoscatur, operae pretium erit, paucis proponere morbida, quae, cadavere patefacto, in aspera arteria conspiciuntur. His enim cognitis, certius apparebit, cum quae fit morbi natura, tum qua ratione exponantur notae quibus morbus insignitur.

* Vid. DISN. ALEXAND. *Treatise*, pag. 18.

† Vid. THOM. CRAUFORD. *Disquisit. Medic. Inaug. De Cynanche Stridula*, EDIN. ann. M,DCC,LXXI. pag. 3.

‡ Vid. PER. ECCLESTON. NOEL. *Disput. Med. Inaug. De Angina Tracheali*, EDIN. ann. M,DCC,XCIV. § 6.

§ Vid. FRANCISC. HOM. *Inquiry, &c. Cas. I.* — THOM. CRAUFORD. *Disquisit. &c.* pag. 3.

DE CADAVERUM MORBIDIS.

XXII. HOMIUS et MICHAELIS, medici clari in primis, interaneis mortuorum curiosissimè exploratis, omnium primi, quantum scimus, quae hujus morbi sit natura, luculenter explicârunt.

XXIII. Introspectis cadaveribus eorum, quos absumpserit *cynanche trachealis*, complura, uti comperti sunt hi medici aliique plurimi, morbida apparent. Asperâ arteriâ incisâ et introspectâ, oculis sese offert membrana mucosa, tenax, fistulata; quae non solum asperam arteriam ipsam intrinsecus amicit, sed etiam ramos et ramulos, quos haec in pulmones diffundit, quique à medicis *bronchia* nominantur.

XXIV. Spuria (xxiii.) haec membrana, ex superiore parte, crassior est; ex inferiore, tenuior. Inter eandem et villosam asperae arteriae tunicam, ex qua eam separare facillimum est, copia humoris purulenti vel mucosi interjacet. Adeò, porrò, tenax et firma est, ut aqua, in qua macerata complures dies sit, eam solvere nequeat. In quibusdam aegris non asperam modò arteriam investit, sed in *bronchia* quoque, seu fistulas pulmonum, ramos quoquoversum tendit. In aliis autem, in parte asperae arteriae inferiore paulatim desinit; et reliquam hujus partem, et *bronchia*, humor mollicellus, albidus et purulentus, qui nondum in membranam concrevit, opplet.

xxv. Tunica asperae arteriae villosa nunquam ulcerata apparet; at ostendit tamen vestigia inflammationis, atque, inter eam, et membranam spuriam ex qua facilè potest separari, humor, ex muco et pure compositus, continetur*.

xxvi. Nonnunquam glandulae, quae basi linguae inseruntur, turgidae sunt. Tumidae quoque interdum, at rariùs, faucium amygdalae.

xxvii. Aliquando autem, uti testatur AUSTINUS, cadavere patefacto, neque spuria membrana, internae asperae arteriae obducta, conspicitur, neque mucus nimius, neque reliquiae inflammationis. Haec verò signa duntaxat iis abesse videntur cadaveribus, quorum, prae morbi gravitate, mors antè potita est, quàm solitae notae apparuerunt.

xxviii. Dictis signis, tam iis, quibus *cynanche trachealis*, dum vita manet, cognoscitur, tam iis, quae, patefacto cadavere, oculis sese offerunt, nunc considerandum est, quibus ex causis oriatur.

* Vid. MATH. BAILLEI. *Morbid Anatomy*, pag. 56.

DE CAUSIS.

XXIX. MORBORUM causas cognoscere, medicorum maximè interest. Non enim possunt ii scire, quomodo morbos curare conveniat, qui, unde hi sint, ignorent. Hi igitur, qui rationalem medicinam profitentur, necessariam esse proponunt abditarum, deinde evidentium causarum notitiam, novissimè morbos continentium. Quum ita sit, quaerendum est, quibus ex causis abditis et evidentibus *cynanche trachealis* oriatur, quaeque causa ipsum hunc morbum contineat.

XXX. *ABDITAE*,—*anginae trachealis* causae, quae, apud CELSUM, eandem vim habent, quam, apud recentiores scriptores, *praedisponentes*, videntur esse proprietas quaedam infantilium et puerilium corporum, atque canalis animae arteriarum debilitas.

XXXI. I. In quo verò consistat haec corporis proprietas, nondum inter medicos satis constat et convenit. Tenerâ aetate, qua irritabilitas corporis maxima est, providet alma natura, ut non solùm in vias omnes excernatur plus muci, quod eas illinat ne transeuntibus irritentur, sed etiam cùm vias tum summum corpus uberius ex arteriis exhalantibus halitus humectet.

2. Cùm verò humorum, tam secretorum tam exhalatorum, ratio sit, consequitur, quo parcius exhalatio est ex summo corpore, fore, ut in vias eo plus humoris exhaletur, et eo plus secernatur mucii.

3. Si qua igitur causa cutis exhalationem supprimat vel minuat, fit, ut in vias quasdam, saepissime verò in alvum et animae canalim, sanguis derivetur; quae, prae plenitudine vasorum quam hujusmodi derivatio efficit, aptae fiunt, quae vel inflammatione vel profluvio quodam corripiantur. Hinc est, quamobrem infantes et pueri, prae caeteris, ad *cynanchen trachealem* et diarrhoeam proni existant.

XXXII. Quin asperae arteriae vasorum debilitate anginae *tracheali* opportuni sint infantes et pueri, vix dubium est. Namque inter medicos constat, quaecunque debilitent tenera eorum corpora, at praecipuè animae fistulam, ejusque ramos quos in pulmones dispergit, eadem eos in hunc morbum proclives facere. Hujusmodi autem sunt vagitus, vociferatio, cantatio, organorum musicorum inflatio; et praeterea morbi quidam, nimirum *asthma*, *pertussis*, *cattarrhus*, *variola*, *rubeola*, quibus accedant caeterae anginae species.

XXXIII. I. Qua ratione debilitas universi corporis vel asperae arteriae, his causis effecta, proclives in *cynanchen trachealem* infantes et pueros reddat, explicatu haud difficile est. Universo enim corpore debilitato, sanguis in summum aequaliter corpus non

distribuitur, neque cutis exhalatio tanta est, quantam bona valetudo requirat.

2. Has autem (xxxiii. 1.) ob causas, plus sanguinis in partes interiores, praecipuè verò in vias quasdam, alvum nempe aut asperam arteriam, derivatur. Quòd si arteriae harum viarum simul causis quibuslibet debiles sunt, sanguinem nequeunt in venas aequè citò expellere, ac in ipsas impellitur. Hinc in iis plenitudo insolita, unde illae viae ad inflammationem concipiendam, et *lympham* exhalandam, et mucum excernendum, contra consuetudinem faciles sunt.

3. Hoc (xxxiii. 2.) modo alvus ad *enteritidem* et diarrhoeam proclivis fit; atque, id quod ad rem nostram magis attinet, aspera arteria ad *cynanchen trachealem* et *catarrhum*.

XXXIV. *EVIDENTES*.—Memoratis abditis causis, seu iis quibus in *cynanchen trachealem* pronum fit tenerum hominum genus, nunc quaerendum est, quibus evidentibus causis excitetur hic morbus.

XXXV. Hunc morbum, sicut alios, qui inflammationem habent, saepissime excitat frigus summo corpori admotum. Ita esse, verisimillimum est, propterea quòd saepe ab usitatis *catarrhi* signis incipit; et quòd iis saepissime anni temporibus accidit, ubi calor et frigus frequentiùs vices alternant.

XXXVI. Quaeratur verò, quemadmodum hunc

morbum moveat frigus. Avertendo, respondemus, sanguinem à summo corpore, et cutis halitum supprimendo; quò fit, ut in animae canalibus arteriis sanguis, supra modum, cumuletur, et ipse unà cum exhalanda materia, qua, prae suppresso cutis halitu, redundat, eas irritando inflammationem concitet.

XXXVII. *CAUSA MORBUM CONTINENS.*—Hactenus de abditis et evidentibus causis: nunc ad eam transeundum, ex qua, tanquam trunco, omnia signa, tanquam rami, enascuntur. Haec cujuslibet morbi causa, quippe cùm communis quasi omnium signorum parens sit, elegantissimè à CELSO dicitur morbum continere.

XXXVIII. Eandem verò (xxxvii.) causam recentiores scriptores *proximam* nominant. Hinc apud eos foecunda inaniarum et contentionis materia: nam, cùm *proxima* verbum comparativum sit, nequidum inter scriptores convenerit, quid semper significare oporteat; vix duo medicorum sunt, quorum in mente eandem vim habet, quique, per id, idem aliis sensum exprimunt.

XXXIX. Quò fit, ut, per *proximam* causam, diversi medici diversam sibi velint, et quisque studeat novam adducere, spretâ vel malè intellectâ eâ aliorum. Hanc ob rem, uti undam unda, ita, de causa morborum *proxima*, aliam opinionem subsequitur alia; ipsa forsitan haud minùs vero absona, et alii aequè fortasse inani locum post paulò datura.

XL. Quòd si medicis verborum virtutis tanta cura esset, quanto studio nova, ac nihil profutura petunt; constantiùs sese opiniones medicae haberent, neque aliam aliâ ferri, neque mutari ac misceri omnes cerneret; atque ipsa brevi medicina eò claritatis procederet, ubi, pro conjecturali arte, luculenta scientia et stabilis fieret.

XLI. His (xxxvii.—xl.) generaliter praemissis, nunc, more eorum, qui hujusmodi disputationes faciunt, quaerendum est, quae causa morbum, quem persequimur, contineat, seu, recentiorum linguâ, quae hujus sit *proxima* causa.

XLII. De hac (xli.) causa, tres omnino opiniones sunt. Nonnulli, HOMIUM secuti, opinantur, causam, quae *cynanchen trachealem* continet, esse corium spurium, quod asperae arteriae, et ramis ejus in pulmones dispersis, intrinsecùs obducitur. Alii, sicuti SIMPSON, MILLARIUS, et RUSHIUS, contendunt esse spasmum *laryngis*. Alii, denique, cum CULLENO consentiunt, esse asperae arteriae ejusque ramorum inflammationem, quae, nisi digeratur, efficit, ut in has vias sanguinis lymphâ seriùs ociùs effundatur, et in tenacem ibi membranam arescat. De his ordine fusiùs disputandum est.

XLIII. *OPINIO PRIMA.*—Quanquam, patefactis cadaveribus eorum, quos abstulerit *cynanche trachealis*, membrana spuria plerumque deprehenditur; tamen haudquaquam hinc concludendum est, hujus-

modi membranam causam esse, quae hunc morbum continet.

XLIV. Interdum enim in iis, quos hic morbus strangulavit, spuria membrana non conspicitur; id profectò, quod satis probat, hujusmodi membranam, quoties existat, non morbi causam esse, sed effectum. Quinetiam, inter morbum, membrana, de qua dicitur, interdum extussitur, neque tamen sanatur morbus; aliter sanè, atque esset, si ea membrana morbum contineret. Denique, morbus nonnunquam sine membranae sputo curatur, quod HOMII opinionem prorsùs evertit.

XLV. *OPINIO SECUNDA.* — Neque profectò vero magis consentaneum est, causam, quae, uti contendunt SIMPSON, MILLARIUS, et RUSHIUS, anginam *trachealem* continet, esse *laryngis* spasmus.

XLVI. Namque, contra hanc (xlv.) opinionem, dici potest, medicamenta, ex iis quae spasmus solvunt, non, nisi postquam sanguis missus est, ad hanc anginam curandam valere; et morbos spasticos remittere subinde aut intermittere, dum angina *trachealis*, uti testantur HOMIUS, CULLENUS, GREGORIUS, et aliique boni auctores, vix unquam, vel saltem rarissimè, intermittere observatur.

XLVII. *OPINIO TERTIA.* — His itaque (xliii.—xlvi.) opinionibus rejectis, inclinant nobis animi, ut CULLENO assentiamur; qui contendit, causam, quae

morbum, quem persequimur, continet, esse inflammationem in tunica asperae arteriae intima.

XLVIII. Hanc enim opinionem confirmant, non solùm notae, quibus insignitur morbus, et causae, unde oritur, et morbida, quae, patefactis cadaveribus, oculis sese offerunt; sed etiam sanguis è vena, dum urget, emissus, atque ratio, qua efficacissimè sanatur. His adductus, CULLENUS hanc *cynanches* speciem inter morbos, qui habent inflammationem, disposuit.

XLIX. Causis dictis, tam abditis et evidentibus, tam eâ quae morbum continet; nunc considerandum est, quemadmodum hic dignoscatur ab aliis morbis, qui signis quibusdam eum simulant.

DE DIAGNOSI.

L. MORBI, quibus signorum quorundam communio est cum *cynanche tracheali*, sunt *catarrhus*, *asthma*, et *pertussis*. De his igitur deinceps pauca dicenda sunt.

LI. *CATARRHUS*.—Maximi momenti est, non habere anginam, de qua scribimus, pro *catarrho* simplice, à quo saepe incipit, quemque signis quibusdam simulat; eoque magis, quòd hic morbus levis est et rarò medicinam desiderat, dum ille fallax est et periculosus, qui, nisi opportunè subveniat medicina, aegrum suffocat.

LII. Satis tamen facilè internoscantur hi morbi. *Catarrhus* enim nonnunquam, uti ferunt medici, pestilens est, et contactu longè latèque vulgatur; *cynanche* verò *trachealis* nunquam contagione spargitur. Quinetiam, hic morbus, contrà atque ille, insignitur inhalatione strepente, voce stridulâ, tussi clangente, facie pallidâ, haud rarò tumidâ et plumbeâ, atque magnâ spirandi difficultate.

LIII. *ASTHMA* — et *cynanche trachealis* non morbi sunt adeò similes, quin facilè distinguantur. *Asthma* enim morbus intermittens est, qui, intervenientibus integritatibus, periodis quamvis incertis subit; et,

inter accessiones, aeger, dum spiritum ducit cum sibilo strepente, et pectoris angustia afficitur, vel non omnino, vel saltem non sine magno molimine, tussire potest. Contrà, *cynanche trachealis* vix remittere nedum intermittere observatur; atque aeger neque tussiendi impotens est, neque, inter spiritum hauriendum, sibilos elidit.

LIV. *PERTUSSIS*,—satis à *cynanche tracheali* distinguitur tussi *convulsivâ* strangulante, et *inspiratio-
ne* sonorâ iteratâ, quae illi, non huic, propria sunt. Praeterea, ille morbus, secus atque hic, tabo quodam speciali generatur, et contagione, atque ministeriis in vicem, serpit.

LV. Diximus, quemadmodum *cynanche trachealis* distinguatur ab aliis morbis, quibus, cum ea, signa quaedam communia sunt; nunc transeundum est ad eam rei nostrae partem, in qua signa praecipua exponere propositum est.

DE SIGNORUM RATIONE.

LVI. *SPIRANDI DIFFICULTAS*,—quae continuò urget, angustiis oritur asperae arteriae, et ramorum quos in pulmones distribuit. Has autem efficiunt, partim membrana spuria, et humor purulentus inter eam et intimam asperae arteriae tunicam contentus, partim *laryngis* musculorum spasmus.

LVII. His (lvi.) causis angustatâ asperâ arteriâ ejusque ramis, aeger aëra, quantum ad sanguinem ex purpureo in coccineum seu vitalem mutandum requiratur, extrinsecùs in pulmones, singulis vicibus, adducere nequit. Quò verò levet anxietatem, qua, prae sanguine non ritè mutato, afficitur, animam eo crebriùs reciprocare tendit, quo parciùs, singulis temporibus, haurit. Quò magis autem aspera arteria, et hujus rami in pulmones distributi, coangustantur, eo parciùs spiritus in pulmones trahitur.

LVIII. Quum verò vitae flamma ali nequeat, nisi hausto spiritu sanguis, dum per pulmones transit, ex purpureo in coccineum vertatur; necesse est, ut, quo parciùs spiritus, singulis vicibus, hauritur, eo hauriatur crebriùs. Nisi igitur spirandi crebritas possit rependere parcitatem, qua, singulis tempori-

bus, spiritus trahitur, sanguis, in transitu per pulmones in coccineum seu vitalem non conversus, impotens fit tum sinistrum cor stimulandi, tum arteriam magnam, cujus est eum in totum corpus diffundere; atque hinc, haud secùs atque ex strangulatione vel submersione, vita extinguitur.

LIX. Aeger verò crebris conaminibus, quibus tendit tantam animae copiam spiritu in pulmones ducere, quanta ad sanguinem in vitalem mutandum sufficiat, admodum fatigatur; neque potest, nisi summâ difficultate atque gravi anhelitu, animam recipere et vitam producere.

LX. *INHALATIO STREPENS*—est, partim ex angustia et siccitate asperae arteriae, et partim ex celeritate, qua, per hunc tubum ejusque ramos, spiritus extrinsecùs in pulmones ducitur.

LXI. *VOX RAUCA VEL STRIDULA*. — Vox raucet vel stridet eâdem causâ, qua strepit inhalatio. Nam, uti vox organorum musicorum spiritalium, quo angustiora iis foramina sunt et sicciora, et quo celerius per haec spiritus inflatur, eo plùs strepit et stridet; ita vox hominum ex causis, quas (lx.) memoravimus.

LXII. *TUSSIS CLANGENS*. — Eâdem causâ tussis clangit, qua rauca vox est, et strepens inhalatio. Inter enim tussendum, aër ex pulmonibus magnâ vi, per angustam et siccam asperam arteriam, expel-

litur, atque sic edit sonum, qui clangor nominatur.

LXIII. *FACIES TUMIDA ET PLUMBEA.* — Prae fistulis pulmonum membranâ spuriâ aut humore purulento vel mucoso oppletis, sanguis ex dextro corde per pulmones in sinistrum expeditè transire non potest. Sanguine autem in dextro corde cumulado impeditur, quo minùs huc à capite sanguis expeditè refluat. Hinc faciei tumor.

LXIV. Eodem tempore, fistulis pulmonum membranâ spuriâ et humore purulento mucosoque oppletis, neque satis magna animae copia in pulmones adducitur, neque profectò ex anima adducta vitalem sanguis mutationem subit. *Chymicis* verò periculis compertum est, sanguinem, nisi in pulmones idonea animae copia spiritu ducatur, atque ex adducta vitalem ille humor mutationem subeat, purpureum vel subnigrum fieri; atque summum hinc corpus plumbeum ducere colorem, praecipuè verò faciem, quippe cujus cutis, prae ea caeteri summi corporis, perluceat.

LXV. *PEDUM ET MANUUM AQUA INTERCUS* — pulmonibus, prae fistulis oppletis, sanguini parùm perviis tribuenda est. Etenim, hanc ob rem, pervio ex dextro corde, pulmonum viâ, in sinistrum impedito, sanguis nequit, per venam cavam, in dextrum cor expeditè refluere, at in extremis magnae arteriae surculis, in iis praecipuè manuum et pedum, supra consuetudinem, cumulatur; ex quibus, per

arterias exhalantes, aquosae ejus partes in *telam cellulosa*m exeunt, et tumorem efficiunt qui pressioni cedit.

LXVI. Expositis praecipuis signis, dicendum est, quae notae spem, quae periculum, ostendant; deinde ad curationem transeundum.

DE PROGNOSI.

LXVII. Hic morbus, uti Homius bene ait, periculosus est: eoque magis, quòd nullum ferme metum injicit, donec eò processerit gravitatis, ut ad ultima ferè jam ventum sit; quòd initio haud rarò inobservatus progreditur, neque arcessitur medicus, dum, prae ejus gravitate, medicina serotina nihil valeat; et quòd saepe infantes fari, quid sibi sit rei, nescios adoritur*.

LXVIII. I. Si, postquam morbus jam tres vel quatuor dies continuavit, magna spirandi difficultas est, simulque arteriarum pulsus celer et debilis, atque facies rubra, malum est. Mali etiam morbi indicium est, aegrum magnâ anxietate premi, et se huc frequenter et illuc jactare, et brachia et crura nudare et inaequaliter dispergere.

2. In propinquo mors est, neque servari potest aeger, si, post tertium quartumve diem, voce etiamnum raucâ et tussi clangente, nihil membranacei aut mucosi extussitur; aut, post extussitas membranulas, sputo cessante spirandi difficultas augetur, vires fugiunt, atque plùs non facies modò livet, sed manus quoque et pedes aquâ intercute tument: haec

* Vid. FRANCISC. HOM. *Inquiry*, &c. Corol. vii.

enim signa indicant, haud multum abesse, ut pulmonum fistulae membranâ spuriam et mucoso purulentove humore oppleantur, et vita extinguatur.

LXIX. Contrà, scire licet, aegrum non periclitari, si, post duos tresve dies, febris, quae ab initio levis fuit, remittit; si spiritus faciliùs ducitur; si arteriarum pulsus, licet frequentiores, sunt tamen validi et firmi; si vox, nisi inter tussendum aut vagiendum, ferme naturalis est. Tussis quoque rarior, fortior, et humidior, quippe cum ostendat, membranam spuriam vel non formari, vel, si formata sit, jam dissolvi, atque inflammationem discuti, securitatem pollicetur*. Bonum etiam signum est, frustula membranacea, et humorem purulentum mucosumve extussire.

* Vid. FRANCISC. HOM. *Inquiry*, &c. Corol. vii.

DE CURATIONE.

LXX. CAETERIS rei nostrae partibus absolutis, ad solam, quae restat et longè utilissima est, eam scilicet, in qua de medendi ratione dicitur, pervenimus.

LXXI. In hac parte, nobis consilium est, primùm, dum etiamnum morbus recens est, nequedum membrana spuria formata, inflammationem digerere; deinde, morbo vetustiore et membranâ formatâ, sputum ex pectore movere; postremò, morbo curato, vires redintegrare. De his singulis, pauca dicenda sunt.

CONSILIUM PRIMUM.

LXXII. *ABSTINENTIA.* — Quò discutiatur inflammatio, oportet aegrum abstinere ab omnibus, quae corpus irritant, instimulant, vel calefaciunt; maxime ab omnibus, quae *laryngem* irritando tussim movent, et exasperant. Temperies igitur cubiculi modica debet esse, qualem, nempe, sexagesimus secundus *Fabrenbietiani thermometri* gradus indicat. Eandem ob causam, cibus ex materia media vel imbecilla esse debet, atque dilutior potus. Simul abstinendum est vagitu, vociferatione, utpote quibus tussis exasperetur.

LXXIII. *EXINANITIO*.—Eodem consilio, opus est, ut ex aegri corpore materia dematur, missione nempe sanguinis, vomitione, alvi purgatione, et haud scio annon etiam sudatione.

LXXIV. *Sanguinis missionem* — ad inflammationem discutiendam plurimum pollere, satis constat. Ut primum igitur apparet, infantem *cynanche tracheali* corripere, sanguinem quamprimum mittere oportet. Mitti autem potest vel ex brachio, id quod initio satius* est, vel, id quod postea magis convenit, ex faucibus externis, vel ex manibus pedibusque. Si, ut interdum est, una missio inflammationem et febrem non reprimat; altera, imò interdum etiam tertia, requiretur, donec tantum vitalis humoris demptum sit, quantum vis morbi desideret, et vires aegri patiantur.

LXXV. Sanguine opportunè elicitò, morbus, uti comperti sunt medici, haud rarò sistitur, atque ad sanitatem perducitur. Neglecto verò per paucos dies hoc remedio, plerumque usque eò increscit morbus, ut evadat insanabilis, et aegrum brevi strangulet.

LXXVI. *Vomitio*,—post sanguinem detractum, multum ad inflammationem discutiendam valet; quippe cum non solum distribuatur sanguinem in corpus aequaliter totum, sed etiam cutis halitum eliciat, atque sputum ex aspera arteria ejusque ramis moveat.

* Vid. FRANCISC. HOM. *Inquiry*, &c. Corol. viii.

HOMIUS tamen negat, se unquam vidisse vomitum respondere; et suspicatur, saepe perniciosum esse, quoniam efficit, ut in fistulis pulmonum mucus uberiùs secernatur *. Hac verò de re, alii medici, quibus potiùs assentimur, HOMIO non accedunt.

LXXVII. Vomitoria, quae optimè conveniunt, sunt, infantibus *vinum stibiatum*, et pueris *tartris potassae stibiatum*.

LXXVIII. *Alvi purgatio*,—ad inflammationem reprimendam utilis est. Vel movenda igitur subinde alvus est catharticiis devoratis, vel ducenda laxantibus ex parte inferiore infusis.

LXXIX. Medicamenta, quibus moveatur alvus, ea debent esse, quae palato haud ingrata sint; aliter enim infans aversatur, neque, sine vagitu, qui sanè multùm nocet tussim movendo, assumit. Pastilli ex *magnesia alba* et saccharo, palatis infantum jucundi sunt, atque, sicuti à HOMIO accipimus, bene respondent. Idoneae quoque sunt, uti idem auctor testatur, *crystalli tartritis sodae* sero lactis solutae, dummodo sine vagitu aeger adhibeat †. Longè verò optimum medicamentum, quo cieatur alvus, *urias bydrargyri dulcis* est ‡.

LXXX. Quòd si infans omnia aequaliter cathar-

* Vid. FRANCISC. HOM. *Inquiry*, &c. Corol. viii.

† Vid. FRANCISC. HOM. *Inquiry*, &c. Corol. viii.

‡ Vid. RUSH.

tica aversatur quibus moveatur alvus, haec laxantibus ex inferiore parte inditis subinde subducenda est. Hunc in finem, aqua tepida, in qua solutus *murias sodae* sit, idonea est.

LXXXI. *Sudorem moventia*,—quippe cùm sanguinem in summum aequaliter corpus evocent, ad inflammationem internarum partium digerendam haud parùm valent, dummodo cor et arterias non nimis incitent. Quocirca, iis *cynanche tracheali* laborantibus subvenire medici solent. At parùm tamen efficacia HOMIUS plerumque compertus est.

LXXXII. Caeteris hujus (lxxxii.) generis medicamentis *vinum stibiatum cynanche tracheali* aegrotis meliùs convenit.

LXXXIII. *EXULCERATIO*,—post sanguinem missum, et alvum motam aut subductam, multùm pollet ad inflammationem asperae arteriae discutiendam. Quapropter, emplastrum exulceratorium, ex contritis cantharidibus et unguento compositum, externis faucibus imponendum est. Ne verò stranguria superveniat, oportet medicum emplastro nondum imposito *camphoram* adjicere; aut, inter id et cuticulam, sindonem interponere; aut, id fortasse quod satius est, praecipere, ut, quamdiu faucibus superjaceat exulceratorium, aeger aquam, in qua coctum hordeum sit, affatim bibat.

LXXXIV. *SPASMUM SOLVENTIA*—parùm, sicuti comperti sunt CULLENUS et plerique alii medici, con-

tra inflammationem pollent, qua, inter *cynanchen trachealem*, aspera arteria afficitur, nisi postquam efficaciora remedia et medicamenta adhibita sunt. Quapropter, nostris temporibus, ad hujusmodi medicamenta rarissimè decurritur. Si tamen quando necessaria medicus putat, opium, quippe quod efficacissimum sit, caeteris anteferendum est.

CONSILIUM SECUNDUM.

LXXXV. Remedia et medicamenta diximus, quibus discutienda inflammatio sit; nunc ad medicamenta venimus, quae, post spuriam membranam factam, ejus ex pectore sputum moveant.

LXXXVI. *VOMITORIA*,—hunc in finem, efficacissima sunt, si modò aegri vires vomitum tutò pati possint. Caeteris autem hujus generis medicamentis anteferuntur *vinum stibiatum* et *tartris potassae stibiatum*: illud infantibus meliùs convenit; hic, pueris. Quòd si spiritus adeò jam difficilis est, ut propè sit ut aeger stranguletur, vomitum hoc consilio ciere inutile est, imò periculosissimum.

LXXXVII. *NAUSEOSA*—quoque, eundem in finem, inutilia sunt. Ad hoc genus pertinent squillae, atque vomitoria dosibus assumpta quae duntaxat nauseam removeant. Acetum ex squillis bene infantibus convenit: vomitoriorum optima sunt *tartris potassae stibiatum*, et *vinum stibiatum*.

LXXXVIII. *EXULCERATORIA*,—subinde faucibus vel pectori superimposita, fortasse etiam nonnihil ad sputum membranae spuriae ex pectore movendum polleant.

CONSILIUM TERTIUM.

LXXXIX. Caeteris propositae curationis partibus absolutis, nunc restat, ut paucis dicamus, quibus convalescentis vires confirmantur: est enim medicorum non solum curare morbos, sed etiam revallescentibus vires restituere.

XC. Hunc in finem, idoneum regimen necessarium est; et, si hoc, per se, non satis valeat, medicina in auxilium vocanda est.

XCI. *REGIMEN*,—ex tribus partibus constat, diaetâ, nempe, exercitatione, et vestitu. Ad haec igitur animum advertere medicum oportet.

XCII. *Diaeta*,—ex esculentis componitur et potulentis.—Illa ex materia media et valente sumi debent, quae satis nutriat, simulque stomacho idonea sit, et concoctu facilis, at quae tamen non in nimios motus incitet cor et arterias.—Haec aliquanto meraciora esse oportet, attamen quae non nimis stimulent.

XCIII. *Exercitatio*—quoque ad reficiendas convalescentium vires utilissima est. Initio, gestatio op-

timè co
colleger
equitati
dum se
morbo

XCIV
tracheal
litum e
motus i

xcv.
centium
debet.

quoties

xcvi.

cortex,
corticis s
et alii m
grini, ca
est. Si,

stomach
anteferer
ceratus s

xcvii

roborant
quirunt
vendas et

ntimè convenit. Postea verò quàm vires paululùm
 iccollegerit convalescens, ambulatione, et, si puer sit,
 requitatione, uti liceat. Cavendum autem est, ne,
 dum se exercet, humori et frigori sese objiciat, et
 morbo denuo corripiatur.

XCIV. *Vestitus*—infantum et puerorum, ex angina
tracheali convalescentium, is debet esse, qui cutis ha-
 llitum eliciat, neque tamen corpus gravet, ejusque
 motus impediat.

XCV. *MEDICINA*,—si, per se, ad vires conva-
 centium redintegrandas non valeat regimen, subvenire
 debet. Medicamenta igitur, ex iis quae roborant,
 quoties opus, assumenda sunt.

XCVI. Hujus (xcv.) generis optima sunt *cinchonae*
 cortex, quaedamve ex hoc praeparata. Flava hujus
 corticis species, uti periculis comperti sunt *RELPHIUS*,
 et alii medici haud pauci, cùm nostrates tum pere-
 grini, caeteris praepollet, et stomacho magis idonea
 est. Si, id quod nonnunquam accidit, hujus pulvis
 stomacho alienus est, praeparatorum ex eo aliquid
 anteferendum est, in primis aqua frigida in qua ma-
 ceratus sit.

XCVII. Rarissimè verò medicamenta, ex iis quae
 roborant, à revallescentibus ex *cynanche tracheali* re-
 quiruntur; cùm praesertim regimen ad vires refo-
 vendas et confirmandas ferè semper sufficiat.

imò convenit. Postea vero quàm vires paulatim
 colligere convalescens, ambulatio, et si puer sit
 edulcoratio, uti liceat. Cavendum autem est ne
 dum se exerceat, humori et frigori esse obnoxius, et
 morbo de novo corripiatur.

Xciv. Ventum—infantum et puerorum, ex angina
 tracheali convalescentium, is debet esse, qui cutis ha-
 luum elicit, neque tamen corpus gravet, ejusque
 motus impediat.

Xcv. Medicum—i, pot. ec, ad vires convales-
 centium reintegrandas non valet regimen, subvenire
 debet. Medicamenta igitur, ex his quae roborant,
 quoniam opus, assumenda sunt.

Xcvi. Huius (xcv.) generis optima sunt cinababum
 cortex, quaedamve ex hoc preparata. Ista huius
 generis species, uti periculis comperti sunt RALPHUS,
 et alii medici haud pauci, cum nostrates tum pere-
 grini, caeteris praeposuit, et stomacho magis idonea
 ait. Si, id quod nonnunquam accidit, huius pulvis
 stomacho alienus est, preparatum ex eo aliquid
 interendum est, in primis aqua frigida in qua ma-
 tratur sit.

Xcvii. Rastum vero medicamenta, ex his quae
 roborant, et recalescibus ex cynanche tracheali re-
 sistant; cum praeterim regimen ad vires reso-
 lutas et confirmandas fore temper sufficiat.